

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

**De quattuor condicionibus quibus Latinae disciplinae perceptio continetur.** Ad Americanos Magistros linguae Latinae.

**Philosophicae disputationes Modernistam inter et Thomistam.** — Actum voluntatis non pendere a sola apprehensione; sed a iudicio eodemque « practico » circa finem, et a discursu circa media statuitur.

**Grunvaldensis victoriae laus.**

**Paroemiae sive adagia:** Malo nodo malus quaerendus cuneus. — Cretensis mare. — Ululas Athenas mittere. — Principium dimidium totius. — Talaria induere.

**Ad Golgotham.** Sacra actio dramatica I. B. Francesia versibus senariis conscripta.

**Bondinensis monumenta.**

**Ex Batavia.** — De certamine poetico Hoeufftiano.

**Acta Pontificia:** Constitutio Apostolica de Suffraganeis Episcopis ad

Suburbicarias Dioeceses adiiciendis. — « Motu proprio ». — Apostolice litterae. — Litterae encyclicae.

**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.** — Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione de Sacramentis. — Ex Commissione de Re Biblica.

**Diarium Vaticanicum.**

**Annales.** — Eduardi VII, Anglorum regis, obitus. — Albanensis seditio. — Cretensis quaestio.

**Publici per orbem coetus legibus ferendis.**

**Per orbem.**

**Librorum recensio.** (B. Albers — I. B. Pighi).

**Aenigmata.**

**Appendix: Arrae Gorgonae.**

## DE QUATTUOR CONDICIONIBUS QUIBUS LATINAЕ DISCIPLINAE PERCEPTIO CONTINETUR

Ad Americanos Magistros linguae Latinae.

Legenti nuperrime ephemeridem quandam menstruam, quae de latinis rebus graecisque per annum scholasticum in Universitate Chicaginiensi editur, subiit mihi sententia, non defensoribus et doctrina apud Americanos egere rem latinam, verum potius doctoribus et assecclis. Nec equidem de maioribus tantum collegiis academiisque hoc affirmarim, sed de omnibus fere scholis. Quippe in scholis publicis, quas superiores appellamus, non cuilibet patet licentia latina tradendi, sed eis qui et studio haud mediocri exculti et examine satis rigido probati fuerunt. Professores vero ipsarum universitatum et principes disciplinae Latinae vel cum doctissimis aliarum artium cultoribus merito composueris. Tamen fortasse ex hac ipsa re minus late patent studia Latina, minus popularia sunt, arctioribus finibus sese includunt. Etenim si eorum tantum esse videtur disciplina Latina, qui altius subtiliusque ibi versari decreverunt, paucorum erit res Latina et eodem ferme loco collocabitur, quo epigraphica studia, quo hebraica, quo sanscritica; quod contra oportebat Latinae linguae notitiam aliquam non pro speciali ac proprio paucorum studio haberi, sed pro communi quam plurimorum fundamento adhiberi. Non deest doctrina praeceptoribus Americanis, non deest studium rerum Latinarum, non hercle deest opportunitas docendi: vix ullam scholam superiorem reperias quae quadriennium Latinum non praebat. Sed quoniam optio studiorum ipsis discipulis dari consuevit et fructus Latinorum studiorum cum ceteris disciplinis, nec pares efficiuntur, nec pares effici posse existimantur, utilitas Latini sermoni vulgo non

agnoscitur et plerique discipuli scholarum paene ab ipsis Latinae linguae magistris ad alia studia, unde uberiora proveniant, traduci videntur. Qua de re dum universim dispuo condiciones docendi, quibus Latini sermonis perceptio contineri mihi videtur, quattuor puncta vel considerationes revocare decrevi, quae sunt: *a) scientia docentis; b) aetas, sive captus discentium; c) indeoles ipsius sermonis; d) finis docendi, sive beneficia inde sperata.* Quibus omnibus perspectis atque perpensis, certa quedam principia sive axiomata rei Latinae administrandae tum generalia, tum specialia concludere licebit.

### I.

Primum igitur omnium, *scientiam docentis* consideremus. Non nimis humiliiter, opinor, de secta nostra me sentire arbitrabimini, si nemini nostrum talem tribuero Linguae Latinae scientiam, qualis in vulgaribus sermonibus requiri solet. Etenim ex libris, non ex communia vita Latinum sermonem petimus. In librorum autem lectione nullius sermonis integritas cernitur, neque vestigi neque recentioris norma quaedam, ad quam ceterae figurae scribendi et loquendi vel iudicemus (si quas ab aliis accepimus), vel ipsi pro viribus efformare tentemus. In vulgari quidem sermone si quid opus est, hoc abunde supplebit confabulantum consuetudo: in Latinis, quotiescumque ea desideramus quae in litteris optimis aut non exstant, aut nobis fortasse nondum innotuerunt (id quod saepissime accidat necesse est), non ex aliqua olim nobis ad paucos annos in nescio quo Latii concessa latine inter se colloquentium recordatione opem petere licet, sed ad nostras nobiscum meditationes adque analogiae usum cerebrum confundendum est. Quod si alios consulere placet, non omnes idem comprobare videatur, sed alios alia sibi in lati-

nitate permittere, quum tamen nemo omnia licere putet, neque alienis iudiciis stare velit. Illud enim praetereo, quod nemo nostrum per omnia sibi constat, sed pro re et tempore novarum licentiam locutionum variare consuevit.

Quae quum ita sint, primum sequitur ut ad latinitatem generaliter quidem a scriptoribus classicis traditam, sed a nobis ad nostros usus varie pro arbitrio exauctam et translatam tot accendant scribendi et loquendi species quot hominum ingenia; deinde ut aliena intellegere nihil aliud sit quam pernix quaedam animi divinatio, non tam oculis auribusve percipientis, quam viribus strenuis discernentis ignota, iudicantis, conferentis, ad sententiamque redigentis; quae operatio an vera confabulatio sit viderint psychologi.

Scientia igitur docentis in rei latinae administratione duas omnino agendi vias invenit, quarum alterutram sibi eligere cogitur: aut enim in sola antiquitate versabitur magister et nihil pueris tradendum putabit quod in veterum libris scriptum non legerit, integritatis sermonis depulsa omni spe, aut non omnia recentioris latinitatis subsidia aspernabitur, sed paulo latius evagabitur atque ad plenorem linguae latinae notitiam suos perducere studebit, etiamsi aliquid puritatis vel negligat vel prudens sciensque perdat, hac tamen lege ut ab antiquis exemplaribus longius ne discedatur.

Apud Americanos in iis scholis quae publica auctoritate reguntur, omnes latinae disciplinae moderatores in sola antiquitate rei latinae elaborant; non tamen eodem modo omnes agunt. Sunt enim qui aliquid magnificentius perficere studeant. Exemplum notabile est in schola Roffensi Neooboracensium illa Res Publica Romana. Videlicet liberae reipublicae Romanae tempora et mores redivivos proponere instituerunt. Consules creantur, senatus habetur, honores petuntur, de re publica disceptatur; omnia autem formulis carminibusque antiquitus usitatis peraguntur.

At cuius tandem doctrina huic rei par est? Equis nostrum mores et instituta veterum adeo cognita habet ut, summota quavis novitate, ea demum cogitare et effari sciat, quae nihil sapient nisi antiquitatis intemperitatem, veritatem? Aliud sane erit in veterem Romanorum sermonem inquirere et veteres cogitandi et eloquendi figuram ad nostras res transferre atque accommodare: aliud Romani hominis mores induere atque Romane sentire, cogitare, imaginari! Hoc non est linguam latinam docere et ad litterarum studia pueros erudire, sed urbis historiam mere politicam scenice referre. Merito dubites equidnam in scientia usuque linguae latinae pueri proficiant. Plausus vero laudesque, quibus huiusmodi consilia ubique excipiuntur luce clarissim ostendunt quantopere apud nos emendatores atque utiliores docendi rationes desiderentur atque quaerantur. Sed haec hactenus.

(Continuabitur).

Chicagine, Nonis Maiis.

THEO. F. CHAVE.

## PHILOSOPHICÆ DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

**Actum voluntatis non pendere a sola apprehensione; sed a iudicio eodemque "practico,, circa finem, et a discursu circa media statuitur.**

MODERNISTA. — Fateamur ergo cognitionem sensibilem prorsus imparem esse quae voluntatem ad actum moveat. Nec tamen inde quaestio ex integro enucleata et soluta videtur. Quum etenim vos, Aristotelis magistri vestri asseclae, in confessu teneatis non unam dari intellectus operationem seu cognitionem, sed praeter apprehensionem, alios actus eiusdem, compositionem seu iudicium nempe et discursum, asseratis, a te, egregie et carissime Thomista, rescire velim a quanam, te iudice, intellectus operatione pendeat voluntatis actus. Nisi quippe errem vehementer, nonnulli ex vobis a sola apprehensione, seu a sola rei prima idea, non kantistico, sed scholastico sensu habita et accepta, pendere faciunt; nonnulli autem a iudicio et discursu. Quid igitur de his tibi decernendum videtur?

THOMISTA. — Praedictos philosophos, qui actum voluntatis a sola rei apprehensione, in qua nec error nec falsitas insit, pendere sentiunt, a vero prorsus delirare strenue pronuntio.

Id tamen fatendum est, eosdem quandoque verbis potius quam re errare, siquidem illi in ipsam apprehensione iudicium includunt, dum pronuntiant in ipsa apprehensione apparere rationem boni et mali, seu convenientis et non convenientis, dum nos e converso contendimus rationem boni et mali non haberi nisi ex aliquo iudicio, seu sententia circa convenientiam vel inconvenientiam rei quae prius ut ens simpliciter innotescit.

At vero longe distinctius perspicatiusque tenet Angelicus sententiam diversam, dum ita, nisi fallat memoria, pronuntiat, nempe imaginationem quae sine aliqua boni aut mali aestimatione sit, imparem remanere quae appetitum sensitivum moveat: haud secus intellectum, nisi practice addatur iudicium de bono vel malo, imparem esse qui voluntatem ad actum perducat. Cuius ratio ista est, potentiam non ferri nisi in proprium obiectum: obiectum vero voluntatis esse bonum cognitum, proindeque eamdem hanc non ferri nisi in bonum ut cognitum, seu in obiectum cognitum qua bonum et non solum qua ens: bonitas autem, seu convenientia non appetit per simplicem apprehensionem, sed ex aliquo iudicio de convenientia vel non convenientia explicite vel implicite.

M. — Nonne tamen tenent plures scholastici auctores voluntatem ferri posse in malum ut malum, proindeque eiusdem obiectum formale non esse bonum cognitum, atque vanam remanere fictionem de compositionis iudicio circa convenientiam habito?

T. — Fatendum est nonnullos, eosdemque tamen paucissimos doctores ita sensisse videri. At vero ipsorum sententia non nisi ut absona et falsa habenda est.

Voluntas quippe non fertur in malum, nisi quia in bonum cognitum tendit, sicut non refugit morbum vel

(1) Cfr. an. XIII, n. III.

penuriam, nisi quia prius et sanitatem et abundantiam novit ratio.

His adde solum Deum naturae auctorem esse, eumdemque Maximum Optimum, a quo proinde natura in malum inclinata procedere nequit, nisi Deum mali auctorem facias.

Denique repugnat omnino facultatem sibi nocumento ex natura esse, seu propriam ruinam aut malum suum ex natura intendere, quod tum experientia tum ratione quam facillime ostenditur et patet.

Voluntas igitur, etsi praedicta forsan analysis ubique et extemplo non appareat, non tendit nisi in id quod iudicio compositionis comprobatum est esse bonum.

Ubi autem quis re vel nomine philosophus contendenter mordicus per ipsam apprehensionem bonum proindeque malum dignosci posse, unde moveatur et voluntas in actum, advertat tamen simplici praedictae apprehensioni addi virtualiter iudicium compositionis aut divisionis, quo habetur ens esse vel conveniens vel inconveniens, seu bonum aut malum. Unde quadammodo nobis consentire dicendum est.

Nullus ceterum unquam ex nostris tenuit iudicium illud esse necessario actuale aut formale, seu procedere hic et nunc ex aliqua discussione, etiamsi complexa forsan apprehendat. Haud secus Deus et Angeli simplici intellectus actu rationem convenientis aut inconvenientis habent, licet non sit pura simplicium apprehensio: ita et homo non componit necessario formalii iudicio, dum etiam complexa percipit, quum, v. gr. vel intellectus perpicacia, vel praeteritarum apprehensionum revocata memoria, praesertim circa communissima et transcendentia, videt uno eodemque actu praedicatum subiecto vel convenire, vel secus non convenire.

M. — Sed tamen bruta animalia per simplicem apprehensionem ad appetendum moventur, quin tamen iudicium ferant, siquidem unum cum altero minime conferunt. Curnam et homo ex simplici apprehensione vel in obiectum tenderet, vel idem refugeret?

T. — Bruta sane iudicium proprii nominis nullimode ferunt, et hoc quidem demonstratur ratione a te allata. Iudicium tamen imperfectum ferunt, siquidem non appetunt nisi id quod iudicant esse bonum, aut refugunt nisi quod ipsis habetur ut malum.

M. — En igitur statuis ac profiteris voluntatem non moveri nisi obiecto quod bonum appareat et iudicetur. Quare ergo tenent doctores tui voluntatem non peccare primum nisi ex iudicio falso.

T. — Tenent sane doctores mei voluntatem non peccare nisi ex iudicio falso, quod tamen non sit iudicium primum. Imo id docent atque profitentur, scilicet voluntatem primo peccare non posse nisi amando bonum verum, utile vel delectabile, sed tamen absque ordine et mensura, unde enascitur error et iudicium falsum, non tamen primum.

M. — Quum tamen nullam inducas distinctionem finem inter et media, a te quaero utrum sententiam tuam teneas de fine eamdem et de mediis. Imo, nisi fallar vehementer, eadem sententia utrinque admittenda videtur.

T. — Imo diversitas non minima interest. Boni scilicet, et finis, qui cum bono idem est, amor adeo

insitus homini est, ut iste simplici atque immediato iudicio proponat voluntati amandum et prosequendum, ut ex ipsismet terminis quandoque notum. Res vero secus circa media sese habet. Quum etenim in hisce particularibus multa appareant et incerta et dubia, sive in se, sive inter se, requiritur exinde consultatio, disquisitio, collatio, ut ex amore finis procedat rectus amor medium. De hisce igitur iudicium nonnisi per discursum fiet, seu per iudicium discursivum, atque dicendum erit non immerito mediatum, quum amor unius propter amorem alterius hic habeatur.

Quae diversitas, etsi modalis, sane a philosopho attendenda omnino est, eo imprimis quod etsi nullimode erretur circa finem seu bonum in communi, errari potest circa media, plus minusve vera aut solum apparentia. Amor finis seu boni in communi erit quasi maior propositio in syllogismo, quae universalior et clarior plerumque erit; amor autem medii seu boni particularis, tamquam propositio minor, circa quam maior et attentior cautela habenda cuique est, ne in fallaciam incidat.

M. — Quae omnia a te dicta difficultatem, fateor, vix patiuntur. Videtur ergo sufficere iudicium apprehensioni additum, quo voluntas quasi instructa, in actum proprium sponte processura sane erit.

T. — Si ita opinaris, carissime, errare vehementer potes. Iudicium requiri ex dictis perspicuum mihi videatur; nec tamen omne iudicium sufficere dicendum erit.

Iudicium quippe non unius indolis et naturae est: aliud siquidem speculativum erit, aliud practicum. Illud quidem res quasi in universalis respicit, proportionemque finem inter et media investigatur et asserit, quin perducere in actum intendat; istud autem hic et nunc idem praestat, sed in particulari et circa quidpiam hic et nunc agendum.

Illud iudicium sufficere, saltem ad velleitates et fruitions promovendas nonnulli asserunt, aliis, et quidem communissime, refragantibus. Cum hisce ultimis ego opinor.

Intellectus enim speculativus res in sua entitate considerat, sive res istae sint mere speculabiles nullaque modo factibiles, ut si quis consideret triangulum tres habere angulos duobus rectis aequales. Iudicium illud nihil vel appetendum vel fugiendum decernit, unde voluntatem neque movet neque movere per se potest.

Imo intellectus speculativus ea considerare potest, quae per se sunt vel amanda vel fugienda, sed tantum in universalis et speculative, absque ullo ordine seu applicatione ad operandum, unde habetur et iudicium speculativum circa agibilita.

Merito igitur veteres philosophi distinguenbant inter iudicium speculativum ex obiecto, quod scilicet terminatur ad ens ut ens est prius bono, neque formaliter agibile, et iudicium speculativum ex modo cognoscendi obiectum, quod in se agibile est, neque tamen ut hic et nunc bonum et agibile, sicut si quis considerat Caesarem hisce aliisve mediis victoriam fuisse relaturum.

Cuiusmodi utrumque iudicium voluntatem non movet neque movere potest, quum non applicet ad agendum, quod solummodo iudicium practicum praestat. Utrumque enim iudicium obiectum ut ens considerat,

non autem ut bonum seu ut finem moventem ad agendum.


Unde rursus colligebant veteres in scientia mathematica conclusiones demonstrari solum per causam formalem, non autem per causam finaliem aut agentem, eo quod illa terminetur ad ens, ut prius bono, seu quae agentem ad agendum exinde nullimode moveat, prout abstrahens ab appetibili, in quo ratio boni consistit. Bonum e contra est obiectum formaliter practicum movens ad operandum, vel saltem ad sui amorem et complacentiam.

E quibus eruitur hanc esse vel falsam vel sibi contraria opinionem iuxta quam intellectus ex obiecto practicus movet voluntatem sive ad amorem sive ad velleitates seu ad fruitionem: falsa, inquam, erit, si supponatur apprehensionem boni esse speculativam; vel sibi contradicens, quia asserit voluntatem moveri posse ab eo quod non apprehenditur ut bonum, dum verbis secus tenet et asserit.

Quantum vero ad intellectum speculativum ex modo, qui operabilia quidem, sed in communi solum considerat, certum est ab ipso non moveri voluntatem, nisi ad particulare se se applicet...

M. — Sed, amice carissime, excusatum me habeas quod ulterius non procedat hodie oratio: siquidem multa iam enucleavimus, quae meditari et mente volvere intendo: unde supersedendum videtur, ut disputatio alias instauranda remaneat de quaestione hac iucundissima non minus quam maxime necessaria.

I. I. B.



## GRUNVALDENSIS VICTORIAE LAUS<sup>(1)</sup>

*O! cara mater nostra, Polonia,  
Iam quina tu per saecula nobili  
Ornaris et fulges corona,  
Quam meruit tibi fausta pugna.*

*Semper virescit laurea vivida,  
Serta ex Slavorum frondibus arboris,  
Grunvaldus optatam salutem  
Cui genuit peperitque certam.*

*Cuncti in Slavorum finibus, in quibus  
Conglutinatur rem populus sciens,  
Insigne cives extulerunt  
Hoc opus et meritum Polonum.*

<sup>(1)</sup> Ladislaus Jagello ex recens tum baptizata stirpe Magnorum ducum Lithuaniae, iuvenili Polonorum regina Hedvige in matrimonium ducta, et ipse eorum rex factus, Crucigerorum ordinem mense Iulio an. mccccx apud Grunvaldum fregit. Huius victoriae centenariam commemorationem Poloni illo animi aestu celebrare parant, cuius specimen a carmine quod sequitur, a clarissimo socio nostro I. Wabner conflatum, offertur.

*Heu! esset acta tunc misere, Slavi,  
Sors quamque cunctos nunc premeret gravis,  
Ingrata vis non fracta si esset  
Alaque nigra vorasset albam!*

*Ut viperam, quam frigoris alta vis  
Compescuit, vir quidam animo pio  
Confovit et pro gratia illa  
Vulnera perfida pectori dat,*

*Illi cohorti cum cruce pallii  
Germanae et omni tum peregenae ope  
Sedes Polonorum dedit dux  
Auxilio hospitioque iunctas.*

*Ingrata serpens convuluit brevi  
Et vulnerare saepius ausa iam  
Viro truci mitem patronum  
Constituit iugulare prorsus.*

*Si primus inter tunc populos Slavum  
Fraudi rapaci succubisset, heu!  
Nunc nec Polonus nec Slavum ullos  
In numero populorum haberes.*

*Ladislai vis regis et ars pia  
Cavit peritque tunc cruciger latro,  
Res unde iam crevit Polona  
Gloria et est et erit Slavorum.*

*Caeli iuvabant; tuque Poloniae  
Superne Tutor, magne Stanislae,<sup>(1)</sup>  
E nube nostrates fovebas;  
Inde Deo sit honor perennis.*

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

(1) Haec est populi Polonorum traditio atque rerum scriptorum, quam etiam ingens illa proelii Grunvaldensis tabula, a praestantissimo artifice I. Matejko picta et Cracoviae urbi dono data, imitata est.

## PAROEMIAE SIVE ADAGIA

*Malo nodo malus quaerendus cuneus.*

S. Hieronymus ad Oceanum: « Interim iuxta vulgare proverbium, malo arboris nodo malus cuneus requirendus est. » Adagio licebit uti, quoties malum simili malitia retundimus. — Sumptum a sectoribus roborum, qui, si quando durior in ligno nodus inciderit, nolunt in eo periclitari securim, verum cuneum quemquam durum magis quam bonum inserunt. Congruit huic illud Sophoclis apud

Plutarchum: « Remedio amaro bilem amaram diluunt ».

### *Cretensis mare.*

(Subaudiendum « nescit » aut « metuit »). Hanc paroemiam refert atque exponit Strabo (*Geograph.* lib. 10) scribens olim Cretenses navigandi peritia rerumque maritimarum usum tenuisse; atque hinc antiquitus increbuisse proverbium: « Cretensis mare nescit » in eos qui nescire fingerent quod egregie callerent. Evidem qui consentaneum est Cretenses, quum sint insulares, ignorare, quo cinguntur undequaque? — Usus est adagio Aristides in Peiricle; Zenodus autem scribit apud Alcaeum existare. — His affine est quod habet Horatius in epistola ad Octavium:

*Ipse ego qui nullos me affirmo scribere versus,  
Invenior Parthis mendacior.*

Quod Parthi tum maxime pugnarent, quum fugam simularent.

### *Ululas Athenas mittere.*

Convenit in stultos negotiatores, qui merces eo comportant, ubi per se magis abundant; at venustris ad res animi metaphora trasfertur, ut si quis doceat doctiorem, carmina mittat poetae, consilium det homini consultissimo. Aristophanes et Cicero paroemia usi sunt. Usurpavit quoque, imo eam exposuit Lucianus in *Epistola ad Nigrinum*. Porro paroemia inde fluxit, quod in Attica plurima est, ei regioni quasi peculiaris. Fertur autem versari in Laureo Atticae loco, ubi auri metalla sunt: unde et Laureoticae noctuae vocantur. Haec avis Atheniensium populo quandam erat gratissima, ac Minervae sacra habebatur propter oculos caesios, quibus etiam in tenebris perspicit, quae vulgus avium non videt. Unde et auspicata consiliis credebatur, id quod indicat proverbium: « Noctua volat ».

Dictum est et illud de Minerva, quod Atheniensium male consulta in bonum exitum verteret. Daemon autem apud Aristophanis interpretem estimat, non ob id solum dici « noctuas Athenas », quod Athenis noctuarum sit copia, sed quod in nummis etiam tum aureis, tum argenteis Atheniensium noctua inscalpi soleret, una cum facie Minervae. Proinde absurdum videbatur noctuam Athenas deportare, quum illic passim omnia noctuis abundarent. De huiusmodi numismate Athenien-

sium testatur et Plutarchus in vita Lysandri, quum de servo meminit, qui de domini sui furtum aenigmatice indicans, ait, multas sub tegulis cubare noctuas; ostendens illic abditas pecunias noctuis insignitas.

### *Principium dimidium totius.*

Hoc adagio significatur, maximam difficultatis partem in aggrediendo negotio sitam esse. Hemistichium est Hesiodi, citante Luciano in Hermotimo. Refertur et ab Aristotele (*Polit., lib. v*). Plato (*De legibus*, vi) habet: « Nam in proverbii quidem initium totius facti dimidium dicitur; atque illud nimur recte cepisse, omnes undique laudibus ferimus. At istud, ut mihi quidem videtur, plus est quam dimidium. Nec quisquam hoc, ubi recte fit, satis pro merito laudarit ». Suidas haec ex Marino quondam refert: « Fuit autem nobis initium illud, non tantum initium, neque iuxta proverbium dimidium totius, sed ipsum in solidum totum ». Aristoteles item (*Moral.*, i): « Principium enim plus quam dimidium totius esse videtur ». Horatius (*Epist. ad Pis.*): « Dimidium facti qui cepit habet; sapere aude ». Ausonius: « Incipe, dimidium facti est cepisse; supersit dimidium, rursum hoc incipe, et efficies ». Plutarchus denique in libello, cui titulus *Quo pacto sint audiendi poetae*, citat ex Sophocle carmen, quod latine sonat: « Negotii cuiusque, si bene ceperis, et finem item bonum fore, probabile est ».

### *Talaria induere.*

Exstat apud Tullium proverbialis allegoria: « Talaria induere », pro eo quod est: « Fugam adornare » et quasi velle quopiam avolare. Sic enim scribit ad Atticum (lib. XIV): « Nemo est istorum, qui otium non timeat. Quare talaria induamus ». Sumptum ab Homero, qui Mercurium avolaturum aliquo frequenter adornat talaribus, cuiusque verba Vergilius interpretari visus est (*Aen.*, IV):

*Et primum pedibus talaria nectit  
Aurea, quae sublimen alis, sive aequora supra,  
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.*

Itaque « talaria induere » dicemus eos qui parant aufugere. Nam hoc ipsum « avolare » et « revolare » apud Ciceronem pro « fugere » et « redire » frequens est.

*Qui sis, non unde natus sis, reputa.*

LIV., XLI.

# AD GOLGOTHAM

*Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta*

(Cfr. num. IV).

SCENA VI. (Teterrimus error).

*Iudem praeter IUDAM et BARBAAL*

NIC. (*oculis prosecutus Iudam*) Traxistis ipsum falso vos a  
[latere,

Eum vobis magis reddidistis improbum.

PONT. M. Ut Iesus ipse Nazarenus loqueris.

NIC. Eius verba accepi: Ei sum discipulus.

PONT. M. Ei credidisti? tu? Et sapiens diceris?

NIC. Evidit?

PONT. M. Non equidem nos: legum qui sumus  
Depositarii! Quas tu si perlegas  
Videbis vatem Galileae genitum.

OMNES. Haud ipse Christus expectatus omnibus.

PONT. M. Sic! Ipse carus semper peccatoribus.

Est ausus quicum dulces cibos sumere,

Sanare aegrotos beneficiis sabato.

Eius discipuli polluunt sabatum,

Diebus nec servant datis ieunium.

Eum si diutius sinebas vivere,

Brevi universum pervertisset populum.

Quo facto Caiphas dixit rectissime:

Mori pro populo hunc necessarium,

Ne moreretur cuncta forte natio.

NIC. (*gravis*) Non ipse vates: dedit vaticinium,  
Locutus est ipse vatum sententias,  
Putans suas idem proferre in medium.  
Si Moysi creditis, nunc verba accipite.  
Enim hunc fusius posteris tradidit,  
Quot in deserto mira fecit arido,  
Eius redundant clarum in testimonium.  
Venis a Patre profitentur genitum  
Quot coram nostris multa fecit opera!  
Ut Pater mortuos ad vitam revocat,  
Ut Pater gerit, dicitur qui Filius  
Dei: semper Ipsius sed discipuli  
Non ieunant! Cur? si sunt ipsis in nuptiis!  
Enim cum sponso versantur! Ieiunii  
Erit dies eis, sponsus cum discesserit.  
Eum vos in crucem vultis nunc trudere,  
Ut auferatis populi de medio...

Trahet sed omnes si exaltatus fuerit.

PONT. M. Sed ipsa nos docet lex Christum vivere  
Æternum: quomodo Christus hic nobis erit,  
Iste si tollendus de terris est homo?

NIC. Refulsit lux vobis, renuistis eam.

PHAR. Apage istud a nobis iugum quo premimur!

OMNES. Nobis et ferocis Romae dominatio.

PHAR. En quod sumendum sibi munus erat.  
Apage a nobis haec turba, quae non Israel  
Vetusta denuo potentia populo

Erat danda, ipsum regem nam reddiderat.

OMNES. Ut tandem gentis qui deleret maculam,  
Infert quam a saeculo Romana servitus.

PONT. Erant de templo propellendi barbari!

OMNES. Hi, recte, modo profani, hi procul impii.

PONT. (*omnes voce superans*) Recte iudicatis.

NIC. Prodivit veritas

Ab ore vestro sacerdotes integra.

Hi prorsus Templi sunt osores perfidi!

Adest nam turba festis nostris maxima

E gentibus cunctis, excepto Israel!

Quid nobis restat? demeris si ingenium?

Erat quod Israel in primis proprium?

Heic immundae Gomorrhæ est occasio,

Ibique Sparta, Marsilia, Capua,

Unitis odiis blasphemant Iehova.

Deum scelestis improbantes orgiis:

Hic est cum gentibus dilectus populus.

OMNES. (*excepto Nicodemo*) Huic auxilium nec Ipse contulit.

NIC. (*in omnes*) O caeca gens! Et amens! Ergo vos creditis

Ad hoc venisse ut excitaret mortuos,

Patrum potentiam, vatum praesagia?

Ut seculorum quae praecedunt series,

Hoc pree se ferrent prodigium dummodo,

Ut haec ab imis instauretur civitas?

Oh sinete mortui sepeliant mortuos,

Servos qui dominis comparavit suis,

Decus qui foeminae sanavit pristinum,

Omnes nos strinxit vinculo sororio,

Ab uno patre docuit nos genitos,

Dei ipse Filius! Haud redemit Israel?

Omnis suum gentes caput de sordibus

Levabunt, primum lenis cum diffunditur

Eius doctrina: venit Ipse gentibus...

Tulit quae preecepta cunctis pro populis.

Nec gravis potius vel Hebraeis commoda,

Ad omnes ipsa proferuntur proflaui,

Prius quae possent Israel convertere.

PHAR. Erit Messias descendat si de cruce!

OMNES. Modo potentia sua se liberet...

NIC. Eos exacaecavit Deus ne videant,

Nec corde, intelligent. (*introgrediens*) Sic salvi re-deant!

(*Haec novissima verba dissipantur. Rumor gentium approximat, et Pontifex Max. aliisque procedunt.*)

PHAR. (*descendens e colle*) In summo trepidæ sistunt iam [Golgotha

Turbæ, et Nazarenum preecingunt languidum.

PONT. Eamus hinc intro. (*euntes*)

PHAR. Ne quid prodigiis... (*intro*)

OMNES. Modo si advenerit... Credemus tunc ei. (*intro*)

SCENA VII. (Tentatio).

IUDAS, TURBAE suo tempore, BARBAAL.

(*Rumor eo crevit, ut complures voces exaudiuntur, pri-mum inconditæ, distinctæ postea. Hebrei, varia aetate et conditione introgrediuntur sinistrorum, dextrorum, montem ascendunt, simul concitato modo colloquentes. Voces flunt paullatim distinctæ atque elatae. Clamores atque convicia adgrediuntur Iudam, qui intrat maxime furore agitatus, ter-ritus, turbatus. Turbae irrumpunt in scenam eiulantes et minitantes) Ehu! malum sit tibi! ehu malum, proditor! (Pergunt haec dicere donec longe sint a cavea et montem ascendant. Voces flunt interea indistinctæ donec rumor fit inconditus, et tandem evanescit. Iudas se se abscondit terrificus in sinistram partem ante spectatores. Cessant voces et Hebraeorum trans-situs. Iudas se se erigit, et circumspiciens sic loquitur:)*

Et ipsi, et ipsi proditorem me vocant!

Solus cur proditor pree cunctis nominor?

Minus cur ipsi nunc proditores erunt?  
 In lege scribitur Christus plectendus neci...  
 Fui quidem magni vir ego consilii,  
 Quod ipse statuit sapienter Deus.  
 Ubi ergo crimen? In me? Quomodo initium?  
 Enim quod criminor? Fui discipulus!  
 Eius sed verba me turbarunt minime.  
 Quid istuc criminis? Sin moverunt pectora?  
 Scrutor meas cordis et mentis latebras,  
 Nullius invenio me culpae conscientia,  
 Mihi sed ipsa mens recte crimen tribuit...  
 Fuit si forte consilium nequius  
 Et opus, solus cur reus monstror digito?  
 Modo scrutor mentis fibras et pectoris,  
 Nec omnis criminis gravat nunc onere.  
 Tamen flagitiis sponsor nunc videor.  
 Quis ergo proditor, ni mens adstitisset mea?  
 Forte alter! Esse sed tunc volui probe!  
 Fuisset alter. Cunctis sed intentio  
 Erat; sumpsisset mortis qui consilium?  
 Ego et fui! Cudendum uni flagitium,  
 Et incidit vox illa in me nequissima  
 Omnis, quae populo per orbem murmurat,  
 Reum mortis et ipse videor mihi.

BARB. (*progreditur pone Iudam*)

Unus tu vilis!

IUD. (*conversus ad eum*) Tu?

Vilis vir utique!  
 Sed una mors solvat tui culpam criminis.  
 Potes sic veniam sperare a populis,  
 Honorem potius! Tempus nam venerit,  
 Quo tu istoc pessimo colaris criminis,  
 Tibi graves et gentes videbunt *bovem*,  
 Feret qui te suis ovantem cornibus.  
 Nunc solve debitum tua crimen nece.

(*Exauditur procul murmur gentium*)

IUD. Nece? (*humeros vertens Barbaal et stans*)

BARB. Istoc modo!

IUD. Fortassis...

BARB. Ehu! Dedeceus! (*separantur aliquantulum. Iudas stans cogitat. Per aërem exauditur mallei ictus in trabe clavum configentis. Sint ictus lentiores longioresque*).

### SCENA VIII. (Crucifixio).

NICODEMUS, mox NAASSON anxius, ARAAM, IOSEPHUS,  
 SALOM, aliique.

NIC. (*introgrediens oculis inspicit ad laevam partem, atque auribus auscultat. Iudas angitur*)  
 Silentium! Audite! (*perdolens*)

Nec ipsum funibus  
 Ligant, sed clavis ferreis confodiunt,  
 Velut trabem super trabe! (*omnes intuentur pleni terroris, et alii alia dicunt*)

O Iudas, accipis?

Nec in te cuncta vertuntur haec verbera?  
 Cruor qui sanctus defluit de manibus,  
 De lassis manibus non oculos territat? (*Eum manibus rapit tenetque ad laevam partem, ut vel invitus videat*)

NAAS., ARAAM, SALOM (*humeris eum obstringentes*)  
 Illuc intuendum! Modo sic inspicias  
 Tuis quoq; scelestis patrasti manibus.  
 NIC. En frontem candidam, ut Libani verticem,  
 Cruorem vide qui salus nobis erit,  
 Tibi sed dedecus! Nullus in posterum  
 In terris vixerit, qui nomen audeat

Tuum referre infandum cunctis saeculis. (*Eum sinnunt abire*)

IUDAS. (*humis oculis defixus ad laevam progreditur. Ipse totis artibus contremiscit. Mallei ictus haud cessant*)

NAAS. (*montem ascendens*) Adest mulier!

ARAAM. (*eum sequens*) Multae prosequuntur simul.  
 (*Joseph ascensit, Nicodemus Salomi loquitur: alii transeuntes ipsis se comites addunt*)

NAAS. Sed illa ceteris nititur quae perdolens?

NIC. (*et ipse ascendens*) Mater.

OMN.

JOSEPH. Martyr et ipsa perfluens  
 Cruore et lacrimis.

OMN. Mater!

IUD. (*Nicodemus reddit*) Usque horreo!

Quot ictus lacerant pectus! Ehu sufficit!

NIC. Miser, tu verberas, tu clavos iniicias!

Ehu curre, clama, malleum vos cedite!

Ego adsum qui recte nominor ipse carnifex!

Eiusque mensae tu sedisti, et lateri,

Fuisti, fratrem te vocabat saepius...

Vidisti, fecit quae portenta plurima...

Suisque adesse veritatem labiis.

Amorem magnum foverat in populum,

Et hunc tu, perfide, tradidisti in nemem.

Vah! apage a nobis, vah! proditor! (*introgreditur*)

Vah, proditor! (*exeunt*).

### SCENA IX. (Horrendum facinus).

IUDAS et BARBAAL.

IUD. (*nimio terrore percussus*)

Et ipsi! et ipsi! Idem semper in me proferunt.  
 Cur tu venisti? Cur te cognovi? Melius  
 Erat mihi lucem si vidisem nullibi,  
 Si quis me extinxisset ab annis teneris!  
 Malum mihi!

BARB. (*paullo ante se se appropinquaverat*)

Vivis, aurasque captas adhuc?

IUD. (*vertens se se*) Et ipse!

BARB. Ab ipsis habitus nuper superbius,  
 Queis servisti servitutem commode,  
 Tuis a sociis expunetus turpiter,  
 In odium cunctis...

IUD. Haec a te tolero?

Mihi tu suggeris? Proh pudor maximum!

BARB. Receptus tibi nullus, nec in aedibus

Nec in silvis! Vix ipsa tellus sustinet.

Te sequitur terror, te praecedat, circuit,

Perussit frontem proditoris ferculum.

Hic quisquis perleget tuum flagitium:

Siccatur herba, pestilenti spiritu

Aer afflatur, geris quo vestigium.

Tuo nam difflit sanguis e crimine.

Et sanguis veniam dat ullam nuspian.

IUD. (*stat haerens miser terrore percitus, mox se se recipit, et tremens manibus apprehendit Barbaal, eumque fixis oculis intuens exclamat*)

Malum! Quis es? faris mihi qui huiusmodi?

BARB. (*se se rudis extricat, caputque detegens ait*)

Inspice me, stulte! Me non novisse dixeris!

IUD. (*eum agnoscens exclamat*)


Tu tenebrarum spiritus, tu perfide? (*Fugit apprehendens cingulum, quem circa latera gerit, collumque torquet, currans ad dexteram partem posteriori loco. Fit obscurum*).

(*Ad proximum numerum*).

## LONDINENSIA MONUMENTA

Eduardi VII, Anglorum regis, obitus et iusta eius funebria Londini immenso cum civium concursu persoluta, nonnullorum monumentorum mentionem renovarunt, quae sub oculis lectorum ponere nonnullisque verbis illustrare non absonum ab opportunitate duximus.

Buckingham palatium est, quod de more Anglorum reges inhabitant; ibi quoque extremum spiritum edidit Eduardus, cuius cadaver in regiam aulam a throno ap-



"Throni aula,, in palatio Buckingham, Londini.

pellatam, ditissimam ferme omnibusque admirandam, translatum primum est, exteris regibus, principibus, legatisque invisendum.

Quum vero civibus omnibus facultas suae pietatis officia defuncto regi persolvendi data est, a regia domo longe, in aula quadam popularium oratorum aedibus adnexa, Eduardi corpus in feretro compositum iacebat. Sunt huiusmodi aedes ad Tamesim flumen per nongentos et quadraginta pedes productae, quarum gothicae architecturae tenorem splendidiorem ornamenta reddunt ubique effusa, columnae, statuae, insculpti lapides, turres; quarum praecipua, ad meridiem versus, Victoriae

## ARRAE GORGONIAE

«Vox Urbis» commentarii appendicem, vid. in pag. 96.

nomine distincta, in altitudinem trecentos et quadraginta pedes tollitur; solum autem septuaginta conquadros pedes occupat. Aedium diaetae centenae numerantur; mesaulae inter se coniunctae chilometrorum plurium summam conficiunt.

Windsorii, denique, castrum, in quo regis exuviae compositae ad ultimum sunt, una vix itineris hora Londono distat. Guilelmus, cui triumphatoris cognomen, condidit; quum autem qui sequuti sunt reges aliquid aedificio addiderint, immutaverint, instauraverint, atque interdum etiam egregiis operibus ditaverint, id factum est, quod invisentes non artis delectamenta ab eo essent detracturi, verum etiam historiae magnam eruditio-

nem. Turris et h̄c miranda potissime, mole ingenti, forma rotunda, in circuitu per centum sese volvens metra, in altitudinem ad octoginta erecta. Verum, ut pleraque mediae illius ferreae aetatis tristia oppida, tristia multa parietes enarrant. Iacobus I, deinde Scotorum rex, duodeviginti annos captivus inibi mansit, et reges Anglorum plurimi in eius caveis reconditi sunt, inter quos Henricus VIII, Carolus I et Carolina regalis generis foemina, cuius sarcophagus mira arte praelucet. Hosce vita nuper functus rex, inter lacrimas subditorum, — quos tam late per orbem sunt diffusi, ut iure meritoque dicatur id esse Anglicum imperium, apud quod sol occidat nunquam, — est sequutus, aeternam resurrectionem exspectatus.

## EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano

Accepimus, et libenter edimus:

Prid. Id. Mart. huius anni MCMX in consessu Ordinis litterarii iudices de XXXIX carminibus ad se missis hunc in modum rettulerunt.

Septemdecim carmina nimis exilia visa sunt statimque seposita, quae gradatim enumerabimus: *Aeneas*, *Fraternitas generis humani*, *Laus Humanismi*, *Ad discipulum adolescentem*, *Prima aetas generis humani*, *Pater Patriae*, *Balmesiana lux*, *Ad Podotrochum*, *Beatus*, *Omnia celeriter fluunt*, *Novem carminum Sylloge*, *De Quaestione sociali*, *In obitu Iosue Carduccii epicedion*, *Carmina nuptialis*, *Vis mentis*, *Rusticatio*, *Brembus*.


Sequuntur novem carmina, quae propter formam laude non carebant, nec tamen digna visa sunt quae ederentur. Fuerunt haec: *Aëris dominatio, Scylla et Charybdis, Vallis Mariana, Sacellum ad Tres Spicas, Messanae terrae motus, Sancta Oda, Messanae terrae motu funditus eversa, Terrae motus ad fretum Siculum, Fine orbis appropinquante.*

His longe praestabant sex carmina: *California, Operariorum seditio, In simiae amatores, Helena, Vera fraternitas, Non est mea neptis mortua.* Haec tamen carmina obscurantur insigni praestantia septem carnum, quae iam sola restant.

Ex his praemio dignissimum est pulcherrimum car-

tur, quatenus poetae schedulam aperiendi veniam tunc dederint.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni MCMXI mittant Hermanno Thomae Karsten, ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda schedulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portable prelum Britannicum (*typewriter*) adhibere velint.



**Popularium oratorum aedes, Londini.**

men, quo egregius poeta eximie cecinit *Pomponiam Graecinam*. Huic aureum praemium tribuimus, et aperta schedula apparuit nomen poetae: IOANNIS PASCOLI Bononiensis.

Itidem digna visa sunt quae prelo subicerentur sex carmina, quorum agmen dicit *Oasis*, cuius auctorem se professus est EDUARDUS SAN GIOVANNI Brooklynensis; deinceps *Cervisia ALEXANDRI ZAPPATAE* in urbe Ancona, *Ecloga Zanclaea* quam cecinit VINCENTIUS US-SANI Panhormitanus, *De Siciliae et Calabriae excidio et Comoedia*, quorum auctores nobis nondum innotuerunt; denique *De agrorum cultura fovenda ad Italos*, quod misit ALFONSUS CASOLI Venetianus. Haec igitur carmina propediem Legati Hoeufftiani sumptibus eden-

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando schedulae aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in consessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur (1); quo facto schedulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE.

*Ordinis Praeside.*

Amstelodami.


(1) Vulgabitur in diariis Italici: *Gazzetta ufficiale del Regno, Boletino ufficiale, Tribuna, Vox Urbis, La Nazione*.

## ACTA PONTIFICIA

CONSTITUTIONE APOSTOLICA *Apostolicae Romanorum Pontificum sollicitudinis* d. d. xv mens. Aprilis MCMX, fermo manente iure constituto de optione et nominatione Patrum Cardinalium ad suburbicarias dioeceses, iisdem Suffraganei Episcopi adiiciuntur, hisce legum capitibus positis:

I. Cardinalis, ad Sedem suburbicariam promotus, ipse verus est Episcopus dioecesis, cuius possessionem inhibet eadem ratione qua ceteri episcopi residentiam habentes.

II. Disciplina quae hue usque viguit ut Emis. Episcopis Sabinensi et Velerino adiutor daretur suffraganeus Episcopus, ad omnes extenditur Cardinales Suburbicarios, quibus idcirco singulis suus erit in posterum suffraganeus Episcopus cum sede titulari.



**Windsorii castrum, ad Londinum.**

III. Suffraganeus a Summo Pontifice nominabitur et sui officii possessionem capiet, litteras nominationis exhibendo Episcopo Cardinali.

IV. Cardinalis Suffraganeo attribuat, et vi praesentis Constitutionis irrevocabiliter attribuisse praesumitur, omnia ad regendam dioecesim necessaria, ita ut uni Suffraganeo sint in dioecesi gubernanda eadem iura et officia ac Episcopo residenti, quae hisce litteris contraaria non sint.

V. Suffraganeus dioecesim gubernat nomine et vice Cardinalis.

VI. Cardinali vita functo, vel renuntiante, vel ad aliam dioecesim translato, Suffraganei iurisdictio non cessat, sed ipse dioecesim tunc regit nomine Sanctae Sedis ad instar Administratoris Apostolici.

VII. Ipse debet quotannis de statu dioecesis etiam oeconomico ad Cardinalem referre.

VIII. Ubi fieri poterit, pars aedium episcopalium a Sancta Sede destinabitur Suffraganeo et Curiae.

IX. Ad unum Cardinalem pertinent solemnes oleorum benedictiones et pontificalia in festis anni maiorum, prout in *Caeremoniali episcoporum* descripta sunt; nisi forte Cardinalis ipse velit ea Suffraganeo committere.

X. Cardinalis debet Missam, sicut ceteri episcopi residentes, pro populo applicare.

XI. Insigne tantum Cardinalis domui episcopali, cathedrali aedi, aliisque templis, priusve de more locis et actis Curiae apponatur.

XII. Solium in dioecesi et nomen in canone Cardinali uni competit.

XIII. Cardinalis, etiam absens, facultate pollet per universam dioecesim largiendae indulgentiae dierum biscentum.

XIV. Uni Cardinali, quo tempore in dioecesi comoratur, ius est pontificalia in eadem peragendi aut permittendi.

XV. Beneficia Capitularum sive cathedralium sive collegialium et beneficia parochialia Sanctae Sedi non reservata, nequeunt a Suffraganeo, servatis servandis, conferri absque Episcopi Cardinalis consensu.

XVI. Cardinalis ius est vigilandi dioecesim, et, si opportunum duxerit, etiam lustrandi, ne quid fides aut ecclesiastica disciplina detimenti patiatur.

XVII. Potest in sua dioecesi Cardinalis matrimoniis assistere et reliqua sacramenta ministrare omnia. Candidati tamen ad tonsuram et ad ordines doctrinae periculo subiificantur et probentur a Suffraganeo; cui ceterum non licet ordines conferre, aut conferendos alii committere absque venia Cardinalis.

XVIII. Synodus haberi nequit sine consensu Cardinalis; eiusque nomine convocanda est. Synodi autem decreta antequam promulgantur, Cardinali cognoscenda deferantur, eiusque nomine promulgari debent.

XIX. Beneficia etiam parochialia in dioecesi ne uniantur, dividantur, dismembrentur, inaudito Cardinali.

XX. Idem Cardinalis audiri debet, antequam Seminarii rector, professores, oeconomus nominentur.

XXI. Vita functo Suffraganeo, vel renuntiante, vel ad aliam dioecesim translato, Cardinalis per vicarium dioecesis administrationi providebit, donec a Sancta Sede nominetur successor.

XXII. Vita functo Cardinali eadem debentur iusta funebria quae Cardinali Episcopo residenti.

MOTU PROPRIO SSmi. d. d. x mens. Aprilis MCMX, confirmatur consociatio S. Cordis Iesu, Romae, ad

Scholam Piam, atque « Aula Pia » concreditur custodiae et curae Sodalium Marianorum a Misericordia, quibus cura et gubernatio Scholae Piae demandata est et praefata Consociatio iuvenum curanda, regenda administrandaque in perpetuum traditur.

Per APOSTOLICAS LITTERAS d. d. vi mens. Aprilis MCMX Sodalitium sub titulo « Missae Reparatrixis » in Archisodalitatem pro universa Helvetia erigitur, cum facultate aggregandi et cum communicatione indulgentiarum.

— Item, sub die v mens. Iulii MCMIX (edit. d. xv mens. Maii MCMX), Capellanis Basilicae Lapurdensis, dioecesis Tarbiensis, insignia choralia conceduntur.

— Item, sub die ix mens. Aprilis MCMX, Consociationi Sacerdotum in honorem SS. Cordis Iesu conceduntur plenariae et partiales indulgentiae in perpetuum.

— Item, sub die xiii mens. Aprilis MCMX, Ecclesia parochialis pagi vulgo *Bonsecours*, dioecesis Tornacensis, titulo Basilicae Minoris decoratur.

Die xxvi mens. Maii MCMX LITTERAE ENCYCLICAE vulgantur ob sollemnem Caroli Borromei commemorationem, ante annos ccc a sa. me. Pauli PP. V in Sanctorum album relati (1).

(1) Spatio hodie deficiente, de ipsis fusius in proximo numero referemus.

## EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

### Ex Congregatione Consistoriali.

*De competencia concedendi facultatem celebrandi tres Missas Nativitatis Domini in sacellis publicis et ecclesiis.*

Proposito dubio « utrum post Constit. Sapienti Conilio spectet ad S. Congr. de disciplina Sacramentorum concedere facultatem legendi tres Missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis publicis et Ecclesiis, quae ad hoc privilegio apostolico indigent, cum distributione SSmae Eucharistiae; an potius hoc tribuendum sit Sacrorum Ritum Congregationi », Emi. Patres sacrae Congregationi Consistoriali praepositi, re mature considerata, respondendum censuerunt: « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ». (Ex decr. d. xiv mens. Martii MCMX).

### Ex Congregatione de Religiosis.

*Declaratio et extensio decreti « Quum minoris » diei xv mens. Iunii MCMIX editi. (1)*

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum

iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et quum decretum S. C. de Religiosis d. d. xv mens. Iunii MCMIX, quo nonnullae praescribuntur clausulae, rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes, et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant. — *Resp. est:* Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae vel supradictis professionibus per sex integros annos ligati fuerint. (Ex decr. d. v mens. Apr. MCMX).

### Ex Congregatione Rituum.

*Monita ad editores librorum liturgicorum.*

I. In rubricis Generalibus Breviarii Romani tit. ix, n. 6, post Festum Nativitatis B. M. V. inseri debet *Septem Dolorum, Dominica tertia Septembri*.

II. In parte hyemali Breviarii Romani in festo S. Thomae Aquinatis, die 7 Martii, ubi legitur: « *Lectio IX, de Homilia, etc.* », substituantur verba: « *In Quadragesima, Lectio IX, de Homilia et comm. Feriae* ».

III. In Rubrica Breviarii et Diurnalis quae inventur die xvi Septembri in festo SS. Cornelii et Cypriani Mm. et quae incipit: « *Si festum SS. Cornelii et Cypriani occurrit Dominica, etc.* », et concluditur in *I Vesp. et Laud. tantum, verba I Vesp. et deleantur.*

IV. In Missali Romano, tum in Festo SS. vii Fundatorum, tum in Missa *Intret de Communi plurim. Mart.* 1 loco, ad Graduale legendum: « *in generationem et generationem* », prout legitur in textu S. Scripturae, Eccl. LXIV, 14.

V. In Rituali Romano, Benedictio novae Campanae, quae ad usum Ecclesiae, sive Sacelli, inserviat, adprobata per Decretum S. R. C. 22 Ianuarii 1908, ponatur inter benedictiones reservatas in appendice, ante benedictionem simplicem novae Campanae, quae tamen ad usum Ecclesiae non inservit, nuper reformatam.

VI. Item in Rituali Romano, Benedictio Officinae Librariae et machinae Typographiae nuper adprobata Decreto 12 Maii 1909, inseratur inter benedictiones non reservatas, in appendice, ante benedictionem domus Scholaris noviter erectae. — (Ex decr. d. ix mens. Mart. MCMX).

### Ex Congregatione de Sacramentis.

*Circa presumptionem de morte coniugis post cladem a terraemotu editam Messanen. et Reginen.*

— Expendendi sunt ab Ordinario casus particulares iuxta Instructionem « Matrimonii vinculo » a S. C. Sancti Officii datam an. MDCCCLXVIII. — (Ex decr. Messanen. seu Reginen. d. xii mens. Martii MCMX). (1)

(1) Instructio de qua agitur refertur cum ipso decreto apud *Acta Apostolicae Sedis* an. II, n. 5.

**Ex Commissione de Re Biblica.**

*De auctoribus et de tempore compositionis psalrorum.*

I. Utrum appellations *Psalmi David*, *Hymni David*, *Liber psalmorum David*, *Psalterium Davidicum*, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti librum cl psalrorum; sicut etiam plurim Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor David haberit? — *Resp.* Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textu praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX viorum; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse? — *Resp.* Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari? — *Resp.* Negative.

IV. Utrum, si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in compendiosis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de canto psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixa sunt; insuper consensus Iudeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda? — *Resp.* Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes*; ps. XV *Conserua me, Domine*; ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea*; ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates*; ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus*; ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo?* — *Resp.* Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit, qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales oscitantiam amanuensium aliasve incompartas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus*, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indicis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare co[n]ati sunt non paucos esse psalmos post tempora Esdrae

et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit? — *Resp.* Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi propheticci et messianici, qui futuri liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt; ac proinde reiencia prorsus eorum sententia sit, qui indeolem psalmorum propheticam ac messianicam pvertentates, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coartant? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

Die autem 1 Maii 1910, in audientia utriusque Rmo Consultori ab actis benigne concessa, Sanctissimus praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

FULCRANUS VIGOUROUX P. S. S.

LAURENTIUS IANSSENS O. S. B.

*Consultores ab actis.*

**DIARIUM VATICANUM**

(Mense Maio MCMX).

**Coram SSmo admissiones.**

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Salm-Salm princeps foemina eiusque liberi; Salviati, Urbanus Dux; Lanceillotti, Urbanus princeps; De Mérode comitissa; Teutonum manus in Americis residentium Romanum peregre prosectorum; Romanus coetus Societatis mulierum catholicarum in Italia; Subalpinorum peregrinorum manus; Anna, Borussiae princeps foemina, una cum Vincke dynastis; Paula e ducum Meklemburgensium familia; Olga e Comitibus Mocenigo; De Grumer Klett dynasta; Nicolaus Szécsen de Temerin, Comes, Austrorum Hungarorumque legatus apud Apostolicam Sedem; De Peralta doctor, Co-staricensis civitatis ad minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Ioannes Borghese, Urbanus princeps.

**Pontificiae electiones.**

Ioannes Bernardus Mac Ginley, e dioecesi Philadelphensi, episcopus ecclesiae cathedralis de Cáceres; Vincentius Kluczynski, e dioecesi Vilnensi, archiepiscopus Mohiloviensis; Augustinus Losinski, canonicus poenitentiarius metropolitanae ecclesiae Mohiloviensis, episcopus Kieleensis; Marianus Rys, parochus loci Wierzbica, episcopus Sandomirensis; Longinus Zarnowiecki, rector academie ecclesiasticae Petropolitanae, episcopus tit. Mosynopolitanus et in suffraganeum episcopo Luceoriensi et Zytomerensi deputatus; Timotheus Corbet, rector cathedr. eccl. Duluthensis, episcopus Crookstoniensis; Vincentius Vehrle O. S. B. episcopus Bismarciensis; Iosephus Petrelli, a secretis Delegationis Apostolicae in Philippinis insulis, episcopus Lipensis; Paulus Singzon, vicarius generalis episcopi Cebuani, episcopus Calbayoganus; Ioannes Arturus Chollet, doctor in athenaeo Insulano, episcopus Virdunensis; Adolphus Manner, vicarius generalis episcopi Augustodunensis, episcopus Bellicensis; Petrus Chatelus, in civitate Lugdunensi parochus,

episcopus Nivernensis; Emmanuel Virgilio, vicarius generalis episcopi Venusini, episcopus Oleastrensis; Gabriel Vettori, parochus in civitate Florentina, episcopus Tiburtinus; Iosephus Gross, decanus Falkenariensis, episcopus Litomericensis; Thomas Valeri O. F. M. archiepiscopus Brundusinus cum perpetua administratione episcopalibus sedis Ostunensis, creantur.

— Exem. viri Ioannes Baptista Gorordo, episcopus tit. Nilopolitan., ad cathedralem ecclesiam Caebuanam; Gaspar Felicianus Cyrtowt, episcopus tit. Castorien., ad ecclesiam cathedralem Samogitiensem; Antonius Karas, episcopus tit. Dorylens., ad cathedralem ecclesiam Augustoviensem; Bernardus Pizzorno, episcopus tit. Comanen., ad ecclesiam metropolitanam Turritanam cum administratione dioecesum Ampuriensis et Templensis; Pacificus Fiorani, episcopus tit. Charystien., ad cathedrales ecclesias unitas Cornetanam et Centumcellarum; Arthurus Marchi, episcopus Regien. in Aemilia, ad metropolitanam ecclesiam Lucanam transfruntur.

— Exem. viri Salvator Scanu, episcopus S. Marci et Bisiniani, in Administratorem Apostolicum dioecesis Cassanensis ad nutum S. Sedis durante sedis vacatione; et Apollonius Maggio, episcopus tit. Lystren., in Administratorem Apostolicum dioecesis Asculanae in Piceno deputantur.

— Exem. viri Iosephus Altenweisel, episcopus Brixinen., et Iosephus Doubrava, episcopus Reginae-Gradacen., inter episcopos Pontificio solo adstantes referuntur.

— Inter « Consultores » S. C. de disciplina Sacramentorum adnumerantur Fridericus Fofi, Canonicus Regularis Lateranensis; Ioannes Willemens, in Lovaniensi athenaeo quondam doctor; Placidus Angelus Rey Lemos O. F. M.; Carolus Maria Iosephus Lotter, e Congne. SS. Redemptoris; Arthurus Curotte, dogmaticae doctor in Seminario Romano; Iosephus Civra Ord. Serv. B. M. V.

## ANNALES

### Eduardi VII, Anglorum regis, obitus.

Qui Eduardum VII regem, imperatorem, quem matri succedens Transvaaliano bello finem impo-  
suit, « Principem pacis » ex hisce paginis ominantes salutavimus, iisdem verbis nunc ei vita egresso extremum vale cum omnibus gentibus dicimus. Cui vero civili laudi aliae multae accesserunt: non enim facile virum inveneris, qui immenso imperio praepositus legibus, institutis, moribus multiplici, tam aequo animi sensu sese gesserit, ut populorum omnium sibi subiectorum studium in se maximum excitaverit; quinimo et Europaearum ipsarum nationum universum atque perpetuum consensum erga se conciliare valuerit. Non igitur mirum quod ad eius funera tot reges et principes unquam, luctusque Anglorum cuiusque ordinis in omnem formam concesserit.

Eduardo Georgius filius, huius nominis ordine V<sup>us</sup>, quinque supra quadraginta annos natus, suf-

ficitur, non levi quidem in discriminé; omnibus enim constat apud Anglos inter popularium legatorum coetum legibus ferendis et nobilium curiam dissensiones agitari, quae non facile explanari posse videntur. Fas igitur nobis vota expromere, novum regem, virum gravem atque prudentia prae-  
ditum, eundemque politicae arti sub patris magisterio insuetum, concordiam illam brevi restitu-  
rum, sine qua — meminerint Angli — res, licet maximae, dilabuntur.

\* \* \*

### Albanensis seditio,

Quamquam Turcarum gubernium iterum ite-  
rumque nunciaverit Albanensium seditionem omni-  
nino esse domitam, re quidem vera ignis minime  
restinctus apparet. Ut enim praetereamus Arnau-  
tarum victorias in Vetere Serbia habitas contra  
Chefket Torgut Pacha, atque frustra per Albanen-  
sium coetus legibus ferendis legatos tentatam dis-  
criminis compositionem, certum id est, discessum  
cum magnis copiis ad pugnandum ipsius bellicae  
rei administri, qui si Turcarum armorum sortes ad  
meliora vertit, non tamen definitivam, si dicere  
licet, sententiam, pronunciare valuit adhuc, omni-  
bus persuasisse, ad seditionem delendam aut qua-  
draginta hominum millibus saltem opus esse, aut  
ad negociationes esse recurrentum, compromisso  
sanctas, quibus Albanenses de controversiis pla-  
centur, quae huiusce rebellionis causa fuere.

\* \* \*

### Cretensis quaestio.

Cretensis etiam quaestio plus minusve acris per-  
durat. Populares enim Christiani legati non solum  
in iureirando Georgio, Graecorum regi, publice  
proferendo persisterunt, sed convicia in Turcas  
iecerunt, hos impedire conati quominus protesta-  
tiones suas contra iuramentum idem emitterent.  
Turcae itaque ad nationes insulae tutelam haben-  
tes provocarunt, quae Fabii illius cunctatoris agendi  
rationem non oblitae, hinc inde politicis armis nunc  
etiam luserunt. Interim coetus sessiones intermissae,  
voxque manavit, novum ut antea procuratorem sive  
praefectum Creta in insula iri constitutum.

## PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** novo regi fidelitatis iuramento prae-  
stito, coetus sessiones ad incertam diam dilatae.

In **Austria** de vectigalibus reformandis dis-  
ceptatur.

In **Belgica** nova comitia ad publicorum orato-  
rum certum numerum renovandum, non obstanti-  
bus summis adversariorum conatibus, catholicae  
parti favorabilia adhuc evaserunt.

In **Dania** administratorum collegio, cui Zahle praerat, a munere abdicanti, novum suffectum, praeside Neergardt.

In **Gallia** habitis novorum totius publici coetus legatorum electionibus Combesii factio ad minimum redacta.

In **Germania** publici totius nationis coetus sessiones usque ad Novembrem mensem suspensae.

In **Hispania** nova comitia gubernio, cui Canalejas praeest, faverunt, tum « conservatorum » tum « separatistarum » partibus late imminutis.

In **Italia** maritimae conventiones ad tempus approbatae.

In **Russia** leges ad Finnoniae libertatem infirmam acriter producuntur.

### PER ORBEM

Die I mens. Maii MCMX per orbem universum « laboris festum » pacifice agitur.

— d. IV Carthago urbs, in Americana regione Costarica, terrae motu vastatur.

— d. VIII Victoria Aganoor, Italorum poetria insignis, iuvenis adhuc fato concedit. Eius maritus, Guido Pompili, Perusinae civitatis legatus apud coetum legibus ferendis, iamque alter ab administratore exterarum rerum, dolore victus miseram sibi mortem ad uxoris cadaver conciscit.

Mediolani obit Hieronymus Rovetta, fabularum Milesiarum ac dramatum scriptor late celebratus. Natus erat Brixiae an. MDCCCL.

— d. X Romae, senectute confectus, supremum diem explet Stanislaus Canizzaro, inter primos chemicae artis doctores totius orbis iure habitus.

— d. XII carbonis fodinae ad Anglicum oppidum White Haven incenduntur. Cunicularii centum et nonaginta igni heu! absumuntur.

— d. XIII, Lugduni, Gallicus aviator Michelin cum aeronavi sua in terram praecipitat, ac moritur.

— d. XV Peary, arctici poli detector, felix iter suum ad septentriones Romae coram Italiae rege ac regina enarrat.

— d. XVI Florentiae vita fungitur Fidelis Romanus, litterarum cultor valde apud Italos probabilis.

— d. XX Londini iusta funebria Eduardo VII Anglorum regi vita functo sollemniter persolvuntur.

— d. XXII Iulius Renard, Gallicus Milesiarum fabularum scriptor, Lutetiae Parisiorum a vivis cedit.

— d. XXV « Turcarum invenum » legatio Italiam eiusque instituta fabricasque praecipua visitans, Romam advenit.

— d. XXVI subaqueus Gallorum linter, cui *Plu-*

*viose* nomen, cum militibus omnibus a pyroscapho quodam in Britannico fretu sibi incurrente submergitur.

— d. XXVIII Badensi in urbe Robertus Koch doctor, cuius nomen ob singularem bacteriologicae disciplinae peritiam multum in omnibus locis erat, ab hominibus demigrat.

— d. XXX Budapestini lethali morbo LXI vitae suae anno conficitur Colomannus Mikszath, Hungarorum scriptorum nostrae aetatis facile princeps.

### LIBRORUM RECENSIO

BRUNO ALBERS, Benedettino Cassinese. — *Manuale di propedeutica storica*. — Romae edid. Pustet, 1910.

Quum omnes scientiae, tum historiae disciplinae ultimis lustris elapsis, ex quo Leo Pp. XIII memoriabilis illa Encyclica « Saepenumero » d. d. XVIII mens. Augusti MDCCCLXXXIII, uberrimos bibliothecae Vaticanae et archivi Pontificii thesauros aperuit et omnes ubique terrarum doctos ad eos effodiendos et publicandos invitavit, mirum in modum florere coeperunt. Quare certe nemo inconveniens et supervacaneum putabit, quod homines litterati et investigatores diligentissimi etiam aliis hos thesauros aperiunt atque viam et rationem scientiae historiae ostendunt, qua studiosi procedentes, artem recte investigandi, bene discernendi et dilucide disserendi de gestis et factis praeteritorum temporum discant. Quod qui docet opus utilissimum praestiterit. Hoc auctorem libri supra memorati fecisse, nemo negabit, qui eundem attente legerit. Ibi enim inveniet optima praecepta de tractandis et disquirendis fontibus; clare et breviter in summa capita palaeographiae, epigraphiae, chronologiae et diplomaticae inducitur, nec de heraldica, sphragistica et numismatica notiones necessariae desunt. Quod si quid adhuc est in votis, fas sit illud innuere. Nos enim desideramus, ut id etiam demonstretur, quomodo singula facta et fata, per heuristicam seu investigationem inventa, per criticam rite discreta et selecta, ad lapillorum instar et tessellarum in opere musivo, in narratione historica artificiose componantur et disponantur, ut et legentes instruantur simul et delectentur. Quod optime paucis praeceptis et regulis et aliquibus exemplis appositis facile fieri potest; et, uti speramus, in secunda editione fiet. Tunc illud Horatii de hoc libello valebit: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

I. B. PIGHI. — *Institutiones Historiae Ecclesiasticae*. (Vol. III). — Edid. Veronae Cinquetti, 1910.

Non pauci sunt liberalibus artibus erudit, qui doleant, quod latina lingua nostris diebus non sicut olim in cunctis disciplinis tradendis adhibeatur. Lingua enim Tullii et Livii forte et suave vinculum erat, quo homines culti in universa doctorum republica uniebantur et singulorum opera et labores per totum orbem divulgabantur. Nunc temporis vero vel optimi scriptores vix

ultra suae patriae fines leguntur, nisi forte eorum libri per versiones aliis aliarum linguarum nationibus accessibiles fiant. Quod quidem rarius et non sine magna temporis, laboris et pecuniae iactura evenit.

Hanc unionem animorum disciplinae theologicae usque ad nostra tempora servarunt et servant, ita ut libri latini de ipsis tractantes quandam universalis Ecclesiae imaginem repraesentent.

Ex illis disciplinis forsan historia ecclesiastica propterea maiori obnoxia est difficultati, quod ad res gestas, imprimis recentiores enarrandas, atque ad notiones et ad moderna cogitata exprimenda saepissime vocabulis novis et sententiis a Tullio non adhibitis opus est. Quis propterea iure auctorem vituperet, dummodo, quantum fieri potest, clare, subtiliter eleganterque rem disserat et exponat?

Quae modo exposuimus, in « manuali » quod supra indicavimus, bene observata sunt. Dictio latina omnino clare et facile fluit, neque etiam humanistarum modo sermonis figuris et flosculis narratio obruitur et obnubilatur, quin modesto ornatu careat. Quod quivis librum perlegens primo quasi adspectu videbit.

Illud etiam nemo negabit res gestas generatim sine ira et studio expositas esse, et, remota omni iniusta benevolentia vel malevolentia, neutri parti plerumque favendo, ita ut quivis veritatis amans fidem Ecclesiae tum antiquorum, tum recentiorum temporum imaginem et conspectum ex eo acquirat.

Ut quaedam capita, quae sunt maioris momenti altius infigantur, singulis periodis disputationes adduntur aptissimae ad exercenda studiosorum ingenia; inter quas disputatio de S. Petri adventu et episcopatu Romano, de lapsu Marcellini et Liberii, de causa Vigilii et Honorii, de Bonifacio VIII, de Urbano VI et deschismate occidentali optime exaratae videntur.

Nihilominus facere non possumus, quin quaedam minus probemus, imo, ut aequi iudicis est, aperte vituperemus. Ita auctor noster aliquando nimis conatur id excusare, quod reprobandum est. Ut exemplis utamur, vitia in personis ecclesiasticis interdum, si non velantur et reticentur, tamen non satis apparent, aut etiam nimis minuuntur et excusantur.

Atqui omnia quae obici et opponi possunt, et ab adversariis etiam obiciuntur, in scholis non silentio transeunda, sed examinanda, et quae sunt reprehensibilia, non velanda, non excusanda, imo vero ingenue arguenda esse puto; secus adversariis arma contra nos paramus. Memores simus in agro Ecclesiae usque ad diem messis triticum cum zizaniis esse permixtum, et defectibus humanis, quae sunt in Ecclesia, nunquam eius divinam indolem affici et obnubilari posse.

Quod ad disputationes attinet, nos illas passim abbreviandas censemus (ex. gr. de Societate Iesu eiusque suppressione 42 paginae, de Gregorio VII, 28 p.), et nonnisi unam alteramve per singula puncta fusius minutim explicandam, ceteras tantum per summa capita exponentias, ut et magister habeat, quod addat et amplificet, et discipuli quod profundius examinent et elucubrent.

Illud vero vel in primis vituperandum videtur, quod materiae tam variae diversis temporibus, semper eodem

modo per centurias tractantur et iisdem septem capitibus dividuntur, quae sunt haec: 1. Romani Pontifices. — 2. Fidei christiana propagatio. — 3. Vita interior Ecclesiae. — 4. Haereses et schismata. — 5. Concilia. — 6. Scriptores rei ecclesiasticae. — 7. Adiuncta externa Ecclesiae (historia politica). Qua partitione evitari non potest, quin languenter et taediose sermo procedat, ut materiae connexae violenter et monstruose disceperantur et separantur, ut quaedam facta diversis in locis iterentur et iniucunde repetantur, aliae res non suo loco tractentur (ut controversiae thomistarum et molinistarum inter haereses et schismata). Quamquam haec divisio illis qui sine magistris, ut autodidactae, discunt, forsitan aliquid commodi praestat, tamen in schola et magistro et alumnis plus difficultatis et damni affert. Et quamvis pro sua quisque inde in docendo aliter procedat, tamen nemo ignorat, quam diversa sint singula tempora, ut minime semper eodem centum annorum spatio circumscribi et eisdem capitibus comprehendendi possint. Experientia magistra docet, quanta comoda et subsidia ad discendum bona dispositio afferat, ut res graviores suo loco ob oculos positae altius animis infigantur et tenacius memoria teneantur.

Hoc modo (si, quod valde exopto, editio altera emendabatur) fore opinor, ut hic liber multis ex partibus egregius, tam interna virtute quam elegantia externa magis commendetur et probetur.

P. F. S.

## AENIGMATA

### I.

Coquum diu voco. coquus vocantem me  
Coquit; inde coctum devorat, coquit rursus.

### II.

Urbes, rura, pagos habitat, sub lege tenetur.  
Procerum et glaucum flumina lambit amans.

F. X. B.

**Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem JOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:**

THOMAE VALLAURI  
DE RE EPIGRAPHICA  
ACROASIS

Aenigmata an. XIII, n. III proposita his respondent:

1) Num - en ; 2) Monumentum

Ea rite soluta miserunt:

I. M. Meunier, Corbiniano. — Call. Amalberti, Albio Intemelio. — Paulinus a S. Iosepho, Barcinone. — Nie. Lagumina, Panormo. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio. — Petrus Tergestinus. — F. X. N., Drepano. — Alb. Catteau, Lugduno. — A. Tonelli, Mediolano. — F. Correa, Emerita. — A. Bounin, Aureliano. — Alb. Kain; Aut. Whiteside, Dublino.

Sortitus est praemium:

ALBERTUS KAIN,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII LUSUS PASTORALES.

(Latine verit IOANNES BATTANI).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

# ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)

(5)

Longa vero ad pontem ducta est mora, quum vix singulos equos latitudo eius pateretur. Equorum agmen, quasi transversa flumini facularum tenia vel ignitus anguis in oppositam ripam descendebat. Equites, qui ultimi venerant, constiterunt: id enim legatus praecepferat, quem non latebat quam iniquum inter oppositos montes iter hiaret. Haec fuerat causa qua equites Germanos praemittendos curaverat.

Sed Atilius quae circum strepebant aut fiebant, non aliter quam si prodigia consiperet, vanis oculis demirabatur. Absens enim animus per remotas toto caelo oras volitabat. Turbabant mentem amoris memoriae, crueatus, desperatio. Quid iam boni ei reliquum in futura vita erat? Nonne, tertio iam anno, inter Martis ludos absumpto, una virginis imago, una recordatio veluti fastigium alta mente repositum steterat? Ecur nam Cypria Dea sibi admodum iuveni, vixque pubescen-tibus genis, lectissimam mulieris formam obtulerat? Heu quam praesens adhuc infaustae diei memoria! Primo adhuc vere Parilia in Vestiniis celebrabantur. Rusticans ipse in fundo paterno buccinæ voce sequutus ad montanum compitum pastorales ludos spectatum ascenderat. Iamque cogebantur in iugis reduces niemalibus ex pascuis greges, albescens undique sub nigris illicibus multitudo. Stabat compitum ad fontem, ligneum templum vetustate et fumo obfuscum, rudibus fultum saxis, araque rustica petris congesta. Gemini Laræ nymphæ nati ligneo pariter simulacro bifrontem faciem, sub compiti tecto, atque caprinum rictum ostentabant.

At feriatae diei purissimum ipsa Pales caelum obdu-cherat. Vestini pastores compitum, positum ab atavis, queruum frondibus vestiverant, aram verbenis obvelaverant, fractos vomeres, ligones, bidentes, iuga, quae multa usque ab aetate ex columnis voto pendebant, floribus contexerant, foeni et stipularum acervum in prato congesserant.

Tunc inter greges late albescentes, inter rusticam pa-storum multitudinem satyrorum more hispidis indutam villis, chorus puellarum ima ex valle exauditus, lenis primum, mox paullatim auctus. Extemplo canentes inter nemus apparuerunt; canephora binae, diurna pompa, albis stolis succinctæ, verbenis et rosis prae-cinctæ procedebant. In primo agmine quae gradieban-tur sacrificales afferebant agnellos, ex opimis selectos, roseo ore balantes, quasi de imminentि neque merita clade ingemerent. Reliquæ tepentis adhuc lactis vasa, casei metas, candida arietum spolia, pascuorum primi-tias Deae litandas gestabant.

Virgineæ supplicationi obviam maturarunt iuvenes, quumque propius occurrisset Atilius, repente, quasi portentum conspexisset, restitit. Auricoma puella, rosis coronata, manibus sustentans agnum, mortalium ad ferias nymphæ an dea descenderat? Numne ipsa lu-cifera Aglaia germanas Charites dereliquerat, ut sacris

adesset? At quum, conversis repente oculis, proximum iuvenem virgo adspexisset, gelu quadam mortis rigescere sibi sanguinem ille creditit vitamque penitus restingui. Tunc fabula, quam olim ludis in Orphicis peragi viderat, in mentem ei redit, seseque gorgonio ipso fascino, quod et Mercurium alipedem numen vicerat, obligari creditit. Nullius enim mulieris flavi crines tam vivo auro quam Medusæ Phorci filiae refuslissent, nullius oculi tanto splendore valuissent, nisi certe Medusæ vir-ginis, cui fatale erat Palladis donum, ut uno obtutu adstantes in lapidem converteret.

Pompa ad compitum stetit: arvalia carmina agrestis avenae modo dupli ritu ingeminata, multum effusum in aram lac, mactati innocentes agnelli, eorum sanguine verbena adspersae, quorum ex adustis visceribus ad Palem deam propitiandam niger fumus adscendit. Pastores, puellæ, pueri agrestibus cibis circum epulabantur, at nil laetum amplius volebat, nil dulce cogitabat Atilius, quam flavam intueri virginem, aut momentum, quo daretur eam adloqui, toto animo auspicari.

Obstabat enim sacrorum ritus, ne ante occasum alienae rei cura haberetur. Tandem vero, quum vesperæ facto, acervus foeni incensus est, flammaque fumusque nitidum aer vibrarunt, structo agmine alias post alium transilire rogum pastores coeparent.

Tunc crepitantem circa stipulam choreae consertae ab omnibus, tuneque puellam incerto quidem gressu ac trepido animo iuvenis adiit. Quibus eam vocibus adquatus est?... Profecto nec ipse novit satis, nec deinceps recordatus est unquam. Paullatim vero, aucto animo, nomen pandit, sciscitavit ab ea quanam es-set; novumque amorem, qualem iam sentiret, non tam labiis aperuit, quam oculis. Domitia erat Lucii Afranii filia, quae lustrum tertium vix supergressa, cum patre in Vestiniis rusticabatur. A villicis rogata, ut sacra die pompa adesset, ad compitum ascenderat inscia se Atilii fato decretoriā horam parare...

## IV.

Haec dum Atilius repetit, transierant omnes pedites flumen, atque in adversam ripam appulsi iter medias per silvas ingrediebantur. Intactae enim a saeculis den-sissimæ arbores abruptos undique montes ita vestie-bant, ut properantes sub illis cimmerias noctis tenebras se ingredi crederent. Exercitum in Arduennam sil-vam ad Quintilium Varium iuxta imperata currentem hians invitabat inter iuga via, angusta tamen et detorta, quam fauces rectius dixeris. Imminebant hinc inde iniquissimo loco praerupti scopuli silvis hirti ac dumetis, quercubus, illicibus per impervia latera atque per vertices coronati. Mox eae fauces, post peditum omnes cohortes, equorum alas, superato ponte, ultimo ordine hauserunt.

(Ad proximum numerum).

I. A. COSTAGGINI.